liceat adverſus eam venire: &, quod [1] poteſt, ab ea exigere, & in reliquum, antiquum debitorem aggredi, vel in partem, ſi aliquid a muliere poſſit accipere: vel in totum, ſi ea penitus inopia fatigetur.

§. 2. Ne autem mulieres perperam ſeſe pro aliis interponant, ſancimus, non [2] aliter eas in tali contractu poſſe pro aliis ſe obligare, niſi inſtrumento publice confecto, & [3] a tribus teſtibus ſubſignato accipiant homines a muliere pro aliis confeſſionem [4]: tunc enim tantummodo eas obligari, & ſic omnia tractari, quæ de interceſſionibus fœminarum, vel veteribus legibus cauta, vel [ab] imperiali auctoritate introducta ſunt. Sin autem extra eandem obſervationem mulieres acceperint intercedentes: pro [5] nihilo habeatur hujuſmodi ſcriptura, vel ſine ſcriptis obligatio, tanquam nec confecta, nec penitus ſcripta: [ut] nec SC. auxilium imploretur, ſed ſit libera & abſoluta, quaſi penitus nullo in eadem cauſa ſubſecuto.

De interceſſione pro libertate.

24. Idem A. Juliano P.P.

VEterum ambiguitatem decidentes, ſancimus, Si quis ut ſervo [6] ſuo manumiſſionem imponat, mulierem acceperit obnoxiam ſeſe pro certa quantitate facientem, ſi in libertatem ſervum perduxerit, ſive principaliter mulier ſeſe obligavit, ſive pro ſervo hoc fecit, teneri eam recte omnimodo, Senatusconſulto Velleiano ei non auxiliante. Satis etenim acerbum eſt, & pietati rationi contrarium, dominum ſervi, qui crediderit mulieri, ſive ſoli, ſive pro ſervi promiſſionem, & libertatem ſervo imponere, & ſuum famulum perdere, & ea minime accipere, quibus fretus ad hujuſmodi venit liberalitatem.

De dote.

25. Idem A. ad populum urbis Conſtantinopolitanæ, & univerſos provinciales.

GEneraliter ſancimus: ut [7], ſi quis major vigintiquinque annis, ſive maſculus, ſive fœmina [8], dotem [9] pollicitus ſit, vel ſpoponderit pro qualibet muliere, cum qua matrimonium licitum eſt, omnimodo compellatur [10] ſuam confeſſionem adimplere: neque enim ferendum eſt, quaſi caſu fortuito [11] interveniente mulierem fieri indotatam, & ſic a viro forſitan repelli [12], & diſtrahi matrimonium. Cum enim ſcimus, favore [13] dotium & antiquos juris conditores ſeveritatem legis ſæpius mollire: merito & nos ad hujuſmodi veniamus ſanctionem. Nam ſi ſpontanea voluntate ab initio liberalitatem ſuam oſtendit, neceſſe eſt eum, vel eam ſuis promiſſionibus ſatisfacere: ut quod ab initio [14] ſponte ſcriptum, aut in pollicitationem deductum eſt, hoc ab invitis poſtea compleatur: omni auctoritate Velleiani Senatusconſulti in hac cauſa ceſſante.

TIT. XXX.

DE NON [15] NUMERATA PECUNIA.

De Pignore convento, vel dato, & de probatione pignoris dati.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Hilario.

SI pecuniam tibi non eſſe numeratam, atque ideo fruſtra cautionem emiſſam aſſeris, & *Pignus* [16] datum probaturus es; in rem experiri potes: nam intentio dati pignoris non numeratæ [17] pecuniæ, non aliter tenebit, quam ſi de fide debiti conſtiterit.

† Eademque ratione veritas ſervetur, ſi te poſſidente pignus adverſarius tuus agere cœperit. [PP. Kalend. Septemb. LATERANO & RUFINO CONSS.] 198.

De Parte *non numerata.*

2. Imp. ANTONINUS A. Maturio.

MInorem pecuniam te accepiſſe, & majorem [18] cautionem interpoſuiſſe, ſi apud eum, qui ſuper ea re cogniturus eſt, conſtiterit: nihil ultra quam acceptum cum uſuris in ſtipulatum deductis reſtituere te jubebit.

De hypotheca.

3. Idem A. Demetrio.

SI ex cautione tua, licet [19] *Hypotheca* data [20], conveniri cœperis: exceptione oppoſita, ſeu doli, ſeu non numeratæ pecuniæ, compellitur [21] petitor probare pecuniam tibi eſſe numeratam: quo non impleto, abſolutio ſequetur.

De Solutione facta juxta cautionem.

4. Idem A. Baſſano.

CUm fidem cautionis agnoſcens, etiam [22] *Solutionem* portionis debiti, vel uſurarum feceris: intelligis te de non numerata pecunia nimium tarde querelam deferre.

De eo, qui ſcripturam propriam, vel numerationem negat.

In AUTHENT. de trient. & ſemiſſ. §. ſtudium. collat. 3. titul. 5. Novell. 18. cap. 8.

COntra, qui propriam ſcripturam, qua convenitur, abnegat, vel numerationem inficiatur: convictus in duplum [23] condemnetur: niſi ſacramento illato confiteatur: tunc enim non punitur, niſi in expenſas circa probationes factas, actoris juramento declarandas. At [24] ſi poſt numerationis inficiationem prætendat ſolutionem: omnino ſolidum exigitur, nec prodeſt jam facta ſolutio. † Contra ſi actor litteras ſuas a reo prolatas abneget, eadem ſit & pœnæ & jurisjurandi forma. † Hæc pœna curatori infligenda, ſi de ſuis literis quæſtionem referat in cauſa ejus quem curat.

De Cauſa *debiti præcedente.*

5. Imp. ALEXANDER A. Hauſtiano.

ADverſus petitiones adverſarii ſi quid juris habes, uti eo potes. Ignorare autem non debes, non numeratæ pecuniæ exceptionem ibi locum habere, ubi quaſi [25] credita pecunia petitur. Cum autem ex præcedente *Cauſa* debiti [26] in chirographum quantitas redigitur, non requiritur, an tunc, cum cavebatur, numerata ſit: ſed an juſta cauſa debiti præceſſerit.

De eo, qui obligationem alterius ſuſcepit.

6. Idem A. Juſtino.

FRuſtra opinaris exceptione non numeratæ pecuniæ te eſſe munitum, quando (ut fateris [27]) in ejus vicem, qui erat obligatus, *ſubſtitueris* te debitorem.

De Condictione, *&* exceptione.

7. Idem A. Juliano, & Ammiano.

SI quaſi accepturi mutuam pecuniam adverſario caviſtis, quæ numerata non eſt, per *Condictionem* [28] obligationem repetere: [&] ſi actor non petat, vel *Exceptione* non numeratæ pecuniæ adverſus agentem uti poteſtis.

Heredibus, & in heredes quando competat.

8. Idem A. Materno.

SI intra legibus definitum [29] tempus, qui cautionem expoſuit nulla querimonia uſus, defunctus eſt: reſiduum tempus ejus *Heres* [30] habebit tam adverſus creditorem, quam adverſus [ejus] heredem.

† Sin autem queſtus [31] eſt, exceptio non numeratæ pecuniæ heredi, & adverſus [32] heredem ejus perpetuo competit. † Sin vero legitimum tempus exceſſit, in querimoniam creditore minime deducto, omnimodo heres ejus, etiam ſi pupillus [33] ſit, debitum ſolvere compellitur.

De Parte *non numerata.*

9. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Zoilo.

CUm ultra [34] hoc, quod accepit, re obligari neminem poſſe conſtet, [&] ſi ſtipulatione interpoſita, placita creditor non dederit: in factum [eſſe] dandam exceptionem convenit. Si [35] necdum tempus intra quod hujus rei querela deferri debet, tranſiit; vel [36] ſi intra hoc in teſtando juri paritum ſit: nihil ultra hoc, quod accepiſti, ſortis a te nomine [aditus Rector vel] Præſes provinciæ exigi patietur.

De probatione, & de longi temporis præſcriptione.

10. Iidem AA. Mezantio.

ASſeveratio *debitum* [37] *ſolutum* contendentis, temporis diuturnitate non excluditur: Nec huic obloquitur, quod exceptio non numeratæ pecuniæ certa die [38] non delata querela prius evaneſcat: cum inter eum, qui factum adſeverans [39], onus ſubiit probationis, & negantem numerationem, (cujus naturali ratione probatio [40] nulla eſt) & ob hoc [41] ad petitorem ejus rei neceſſitatem transferentem, magna ſit differentia.

1 Delegata mulier ſi non ſolvendo ſit, creditor ſuperfluum ab antiquo debitore poteſt petere. 2 Si Velleiano, ejus beneficii ſeu auxilii non admonita, mulier renunciaverit, Velleiano juvabitur: neque ei obſtabit renunciatio. vid. tamen Socinum *reg.* 271. 3 Dixi *ſupr. h. t.* 4 Id eſt, cautionem, ὁμολογίαν. 5 Inſtrumentum factum contra ſolennitatem legis, ipſo jure nullum eſt. 6 Mulier intercedens pro ſervo, ut conſequatur libertatem, non juvatur hoc ſenatusconſulto. *Goth.* Hæc eſt decima quarta ex 50. novis deciſionibus Juſtinian. Inglois. *Anſ.* 7 *Synopſis Baſil.* 29. *tit.* 1. *ex lib.* 28. *tit.* 7. *cap.* 84. 4. Harmen. 8. §. 22. 8 Vid. Bald. Novellum *in tract. de dote* 6. *part. princ. privil.* 12. Rim. *Inſtit. de donat. in rubr. n.* 39. & 42. 9 Vid. *l.* 12. ☧. *h. t.* 10 Velleianum ceſſat ſex caſibus favore dotis. *ut hic.* libertatis. *l.* 24. *ſupr.* ſi mulier renunciet Velleiano. *l.* 21. *ſupr. h. t.* aut pretium fidejuſſionis cauſa accepit. *l.* 23. ☧. *h. t.* ſi ſecundo cavit. *l.* 22. ☧. *h. t.* ſi decipit. *l.* 5. *in fin. l.* 18. *ſupr. h. t.* 11 Dotem promiſſam omnimodo promiſſor præſtare cogitur: neque caſu fortuito deminutis facultatibus, ab ea præſtanda liberatur: ne fiat alioquin indotata mulier, & a viro repudium, dotis non ſolutæ, aut deperditæ nomine patiatur: aut potius color alius ad eam rem quæratur. 12 Hodie non fit divortium ob non ſolutam dotem. *l.* 11. §. 1. ☧. *de repudiis & judic. de morib. ſublat. Novell.* 22. *cap.* 18. Goth. Hinc colligunt indotatam mulierem a viro expelli poſſe. Præpoſ. Alex. *ad c. per veſtras. col.* 1. *in fin. extr. de don. inter vir. & ux.* Jo. Campeg. *in tract. de dote part.* 2. *quæſt.* 54. Rom. *conſ.* 517. *in princ.* Bal. *ad l. ſi donaturus.* §. 1. *ff. de condict. ob cauſ. & ad l. diviſione. ff. ſolut. matrim.* Bartol. *ad l. ſi donaturus.* v. Socinum *reg.* 258. & 315. Mod. 13 *l.* 70. *ff. de jure dot.* vid. *l.* 85. *ff. de reg. jur. & ibid.* Decium. 14 Contractus ab initio voluntatis: ex poſtfacto, neceſſitatis. *l.* 5. *ſupr. de obligationib. & act.*

15 *Inſtit. de liter. obligat.* §. 2. *Inſtit. de except. l.* 4. *ff. de doli mali & met. except.* περὶ ἀναργυρίας. 23. *Syn. Baſil.* 1. 2. Harm. 2. Oldendorp. 52. *de exceptionibus.* vide omnino Rebuffum *tom.* 1. *tract. de chirographis, & ſchedularum recognit. articul.* 1. *fol.* 128. *num.* 10. & *ſequentib. ad* 73. *eundem tom.* 2. *tract. de reſciſſ. contr. art. unico, gloſſ.* 19. *num.* 26. Huc referre poſſis titul. *de dote cauta non numerata lib.* 5. *tit.* 15. *infr.* & titulum, *Si pignoris conventionem numeratio pecuniæ ſecuta non ſit, lib.* 8. *tit.* 33. & *Nov.* 100. *de non numerata dote.* In Gallia ut hæc exceptio ſervetur, & in ea cui onus probandi incumbat, dicam ad *l.* 14. *infr. h. t.* 16 Vid. *l.* 1. & 2. *infr. ſi pignor. conventionem num.*

17 Γρ. nec numerata pecunia. 18 Sive nulla, ſive minor pecuniæ quantitas ſit numerata, poteſt ἀναργυρία opponi. *Synopſ. Baſil. h. t. cap.* 60. §. 2. 19 Exceptionem pecuniæ non numeratæ objicere debitor poteſt, etiam ſi pignora jam vel hypothecas creditori ſuo dederit. *Synopſ. h. t. cap.* 62. imo etſi juraverit. *l. ult. infr. h. t.* 20 Commentatus eſt in hanc legem copioſiſſime Emanuel Coſta: præter quem vide & Forcatulum *Necyomant. jur. dialog.* 75. Mod. 21 *l.* 10. *in fin.* ☧. *l.* 13. ☧. *h. t.* interim Cujac. *Nov.* 100. colligit, conteſtatione transferri onus probandi in actorem. Quidam etiam cautionis vocabulo hic intelligunt inſtrumentum privatum vel publicum, in quo mentio ſit receptæ pecuniæ, non tamen numeratæ. 22 Exceptioni τῆς ἀναργυρίας renunciat, qui cœpit uſuras vel partem ſortis ſolvere. *Synopſ. h. t. cap.* 63. 2. Harmen. 1. §. 3. vide Molin. *q.* 20. *de uſur. num.* 208. *ibi, ſexto ſolvens ex intervallo.* 23 Pœna falſo negantis propriam ſcripturam, vel numerationem. 24 Pœnam mentientis & inficiantis obſerva. Si quis mutuum ſe accepiſſe inficiatus convictus ſit, hanc pœnam patitur, ut univerſum debitum exſolvere cogatur, licet cautiones quaſdam proferat ſolutionis a ſe in partem debiti factæ. 3. Harmen. 5. §. 65. Eo etiam pertinere poteſt, quod apud eundem Harmen. 5. *Scholiaſtes* 2. *tit.* 2. §. 10. ſcribit eum qui partem debiti inficiatur, quod alteram ſolutam eſſe excipiat, onus probationis ſuſtinere: aliter quam ſi totum debitum fuiſſet inficiatus. 25 Id eſt, ubi vere credita pecunia petitur: ut hinc colligere poſſis, hanc exceptionem locum tantum habere in mutuo: & ſunt tamen quædam non abſimiles exceptiones in pignore & dote. 26 Puta venditionis. 27 Suſcipiens alterius in ſe obligationem, exceptionem opponere non numeratæ pecuniæ non poteſt. *l.* 4. *infr. de duobus reis ſtipul.* 28 Cautio dati chirographi condici poteſt, ſi ex eo numerata non ſit pecunia, & ita actio, non tantum exceptio competit ei, cui non eſt numerata pecunia. *l.* 3. ☧. *de cond. indeb. & l. ult.* ☧. *de condict. ex lege.* ex *l.* 15. ☧. *de fidejuſſoribus. l. ult.* ☧. *de ſolutionib. l.* 3. *ff. de condict. ſine cauſa. l.* 9. ☧. *ad exhibendum. l.* 1. *l.* 2. *C. Gregoriano. tit. ſi debito perſoluto.* 29 Vid. *l.* 14. ☧. *h. t.* 30 Ad heredem exceptio non numeratæ pecuniæ tranſmittitur, niſi tempus ſit finitum. 31 Conteſtatio locum facit perpetuæ petitioni. *l.* 87. *l.* 139. *ff. de reg. jur.* 32 In heredem exceptio non numeratæ pecuniæ datur. 33 Heres etiam pupillus tenetur debito paterno. dixi ad *l.* 4. ☧. *de hered. action.* 34 Gratuitum hinc colligunt mutuum eſſe, & mutui debitorem non obligari ultra id quod accepit. *l.* 17. *ff. de pactis. l.* 11. §. 1 *ff. de reb. cred.* idem in pecuniam conſtituente pro alio. *l.* 11. *in fin. ff. de pecun. conſt.* idem in fidejuſſore. *l.* 8. §. 7. *ff. de fidejuſſor.* An idem in pactis & ſtipulationibus? vid. quæ dixi ad *l.* 13. ☧. *de pact.* An idem in traditionibus rerum? vid. *l.* 48. *ff. de pactis.* 35 *l.* 14. *infr. h. t.* 36 Negans numeratam ſibi pecuniam exceptione pecuniæ non numeratæ intra biennium uti poteſt. Imo & poſt biennium, ſi modo intra illud tempus διεμαρτύρατο: id eſt, proteſtationem interpoſuit. *Synopſis & ibi Scholiaſtes* 23. *tit.* 1. *cap.* 67. & 68. 2. Harmen. 2. §. 4. proteſtatione igitur perpetuatur jus exceptionis ἀναργυρίας. 37 Exceptio non numeratæ pecuniæ, biennalis, ſolutæ perpetua. 38 Id eſt, biennio. *l.* 14. *princ.* ☧. *h. t.* 39 Qui factum adſeverat, probare tenetur: qui factum negat, non tenetur. *l.* 23. *ſupr. de probat.* 40 Dixi ad *l.* 23. *in fin. ſupr. de probat.* 41 *l.* 3. *ſupr. h. t.* vid. *l.* 13. *infr. h. t.*

De tranſactione.

11. Iidem AA. Eutychiano.

SI tranſactionis [1] cauſa dare Palladio pecuniam ſtipulanti ſpopondiſti: exceptione non numeratæ pecuniæ defendi non potes.

De mandatore & fidejuſſore.

12. Iidem AA. Severiano.

TAm mandatori [2] quam fidejuſſori non numeratæ pecuniæ exceptio exemplo rei principalis competit.

De cauſæ probatione, & de confeſſione debitoris.

13. Imp. JUSTINUS A. Theodoro P. P. [3].

GEneraliter ſancimus: Ut, ſi quid ſcriptis cautum fuerit, pro quibuscunque pecuniis ex antecedente [4] cauſa deſcendentibus, eamque cauſam ſpecialiter promiſſor edixerit, non jam ei licentia ſit cauſæ probationem ſtipulatorem exigere, cum ſuis [5] confeſſionibus acquieſcere debeat [6]: niſi certe ipſe e contrario per apertiſſima [7] rerum argumenta ſcriptis inſerta, religionem judicis poſſit inſtruere, quod in alium quemquam modum, & non in eum, quem cautio perhibet, negotium ſubſecutum ſit. Nimis enim indignum [8] eſſe judicamus, quod ſua quisque voce dilucide proteſtatus eſt, id in eundem caſum infirmare, teſtimonioque proprio reſiſtere.

De tempore hujus exceptionis proponendæ. 1. De depoſito, de ſecuritatibus publicarum functionum, vel dotis, 2. & cæteris. 3. de Jurejurando. 4. quæ obſervanda ſunt in hac querela proponenda.

14. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

IN contractibus, in quibus [9] pecuniæ, vel aliæ res numeratæ, vel datæ eſſe conſcribuntur, non intra quinquennium [10] (quod antea conſtitutum erat) non numeratæ pecuniæ exceptionem objicere poſſit, qui accepiſſe pecunias, vel alias res ſcriptus ſit, vel ſucceſſor ejus: ſed [11] intra ſolum biennium [12] continuum: ut eo elapſo nullo modo querela non numeratæ pecuniæ introduci poſſit: his ſcilicet, qui propter aliquas cauſas ſpecialiter legibus expreſſas etiam elapſo quinquennio in præteritis temporibus adjuvabantur, etiam in poſterum (licet biennium pro quinquennio ſtatutum eſt) eodem auxilio potituris.

§. 1. Sed quoniam ſecuritatibus, & inſtrumentis depoſitarum rerum, vel pecuniarum talem exceptionem opponere litigatores conantur, juſtum eſſe perſpeximus, hujuſmodi poteſtatem in certis quidem caſibus prorſus amputare, in aliis vero brevi tempore concludere. Ideoque ſancimus inſtrumento [13] quidem depoſitionis [14] certarum rerum, vel certæ pecuniæ, ſecuritatibusque publicarum [15] functionum, ſive in ſolidum ſive ex parte ſoluta eſſe conſcribantur, illis etiam ſecuritatibus, quæ poſt confectionem dotalium [16] inſtrumentorum de ſoluta dote ex parte, vel in ſolidum exponuntur, nullam exceptionem non numeratæ pecuniæ penitus opponi. §. 2. Super [17] cæteris [18] vero ſecuritatibus quæ ſuper privatis debitis a creditore [19] conſcribuntur, *partem debiti ſortis, vel uſurarum nomine ſolutam eſſe* ſignificantes, vel adhuc fœneratitia cautione apud creditorem manente, ſolidi tamen debiti ſolutionem factam eſſe demonſtrantes; vel etiam futuram eſſe redhibitionem inſtrumenti fœneratitii promittentes, vel ſi qua alterius cujuſcunque contractus gratia, in quo numeratio pecuniarum, vel datio certarum ſpecierum ſcripta eſt, ſecuritas ſimiliter data ſit, depenſas eſſe pecunias, vel alias res, vel partem earum ſignificantes: intra triginta [20] tantummodo dies poſt hujuſmodi ſecuritatis expoſitionem connumerandos, exceptionem non numeratæ pecuniæ poſſe objici: ut ſi hi tranſacti fuerint, eadem ſecuritas a judicantibus omnibus modis admittatur: nec ei liceat, qui ſecuritatem expoſuit, poſt exceſſum memoratorum [triginta] dierum non eſſe ſibi ſolutas pecunias vel alias res dicere. §. 3. Illo [21] videlicet [ſemper] obſervando [22]: ut, in quibus non permittitur exceptionem non numeratæ pecuniæ opponere, vel ab initio, vel poſt taxatum tempus elapſum: in his [23] nec jusjurandum offerre liceat [24]. §. 4. In [25] omni vero tempore, quod memoratæ exceptioni taxatum eſt, ei licebit, cui talis exceptio competit, vel denunciationibus ſcripto miſſis querelam non numeratæ pecuniæ manifeſtare [ei] qui numeraſſe eam, vel alias res dediſſe inſtrumento ſcriptus eſt: vel ſi [26] abeſſe eum his locis, in quibus contractus factus eſt, contigerit, in hac quidem alma urbe apud quemlibet ordinarium judicem, in provinciis vero apud viros clariſſimos rectores earum, vel defenſores locorum eandem querelam manifeſtare, eoque modo perpetuam ſibi exceptionem efficere. Sed ſi præſens quidem ſit, qui pecunias numeraſſe, vel alias res dediſſe ſcriptus eſt, aliquam vero adminiſtrationem in hac alma urbe, vel in provinciis gerat, ut difficile eſſe videatur denunciationem ei mittere: licentiam damus ei, qui memorata exceptione uti velit, alios judices adire, vel in hac alma urbe, vel in provinciis, & per eos manifeſtare, cui exceptionem hujuſmodi objicit; factam a ſe ſuper non numerata pecunia querelam eſſe. † Quod ſi in provinciis [vel] non ſit alius adminiſtrator civilis, vel militaris, vel propter aliquam cauſam difficile ſit ei, qui memoratam querelam opponit, adire eum, & ea quæ dicta ſunt, facere: licentiam ei damus per virum reverendiſſimum Epiſcopum [27] eandem ſuam exceptionem creditori manifeſtare, & ita tempus ſtatutum interrumpere. † Quæ etiam in exceptione non numeratæ dotis [28] locum habere certum eſt. Dat. Kal. Jul. *Conſtantinop.* D. N. JUST. A. II. COS. 528.

In AUTHENT. de temp. non ſol. pec. ſuper dot. §. ſin autem. coll. 8. tit. 1. al. coll. 7. tit. 11. Nov. 100. cap. 1.

H*Anc autem querelam in ſcriptis fieri oportet, & ſi quis eam in judicio faciat: oportet eam mulieri, vel omnimodo ei qui dotem conſcripſit, innoteſcere.*

Qui poſſunt hac exceptione uti.

15. Idem A. Mennæ P. P.

SI cui non numeratæ pecuniæ competere poſſit exceptio: etiam eo ſuperſedente tali auxilio uti, vel præſente, vel abſente, creditores ejus (ſive ipſi conveniantur; utpote res ejus detinentes ab his, qui debita ejus exigunt, cui competit hujuſmodi exceptio, vel dotis, vel alterius cauſæ nomine: ſive contra alios poſſidentes aliquam actionem ipſi moveant) [poſſint] in examinando negotio ſuis adverſariis eandem non numeratæ pecuniæ exceptionem opponere: nec [29] eo prohibeantur, quod principalis debitor ea nunquam uſus ſit: ita tamen, ut neque principali debitori, neque fidejuſſori ejus aliquod præjudicium generetur, ſi is qui eam exceptionem oppoſuerit, victus fuerit: ſed poſſint illi poſtea ſi conveniantur, intra ſtatuta ſcilicet tempora, eadem ſe exceptione tueri.

De jurejurando.

16. Idem A. Joanni P. P.

INdubitati juris eſt, non numeratæ pecuniæ exceptionem locum habere, & in talibus nominibus, [vel] fœneratitiis, vel aliis cautionibus [30], quæ etiam [31] ſacramenti habent mentionem [32]. † Quæ enim differentia eſt in hujuſmodi exceptione, ſive jusjurandum poſitum eſt, ſive non, tam in fœneratitiis cautionibus, quam in aliis inſtrumentis, quæ talem exceptionem recipiunt.

TIT. XXXI.

DE COMPENSATIONIBUS [33].

Fiſco petenti ex eadem non ex aliena ſtatione ſit compenſatio.

1. Imp. ANTONINUS A. Dianenſi.

ET Senatus cenſuit, & ſæpe reſcriptum eſt, compenſationi in cauſa fiſcali, ita demum locum eſſe, ſi eadem [34] ſtatio [35] quid debeat quæ petit. Atque hoc juris propter confuſionem diverſorum officiorum tenaciter ſervandum eſt. Si quid autem tibi ex ea ſtatione, cujus mentionem feciſti, deberi conſtiterit: quamprimum recipies.

1 Petenti ex tranſactione non objicitur exceptio ἀναργυρίας. *Synopſ. h. t. c.* 69. 2 Reus principalis mandator & fidejuſſor ἀναργυρίαν poſſunt objicere. 3 Præfecto urbi. Cuj. 3. *obſ.* 3. 4 Cavi me centum tibi debere ex antecedente cauſa aliqua, verbi gratia emptionis, & hoc ſpecialiter edixi, id eſt ſcripſi? probationem a te exigere non poſſum. Cur? confeſſionibus meis acquieſcere debeo. Tu non cogendus es probare te mihi aliquid vendidiſſe, vel te centum illa mihi numeraſſe: ſed ipſe probare debeo, nihil te olim mihi vendidiſſe: Hoc, inquam, probare debeo non perfunctorie, ſed per apertiſſima tantum rerum argumenta ſcriptis inſerta. Tantiſper dum id probavero, confeſſioni meæ præſcriptæ ſtabitur, *ut hic.* adde §. *ult. Inſt. de fidejuſſorib. l.* 30. *ff. de verb. obl. l.* 2. *in fin.* ☧. *de quadrienn. præſcr. l.* 25. *ff. de probat.* ex reo partes actoris ſuſtinet. *l.* 1. *ff. de except. præſcript. & præjud.* adde autorem *Syn. h. t. c.* 71. & 3. Harm. 5. §. 74. Cujacium *ad Novell.* 100. 5 Suæ confeſſioni quisque debet acquieſcere, confeſſionem legitime factam nemo poteſt revocare. vid. Dynum *ad c.* 21. *de reg. in* 6. vid. etiam diligenter Molin. *q.* 29. *de uſur. n.* 208. *in pr.* 6 Vide Joan. de Imol. *ad l. a Titio. ff. de verb. oblig.* Roffredum *in libellis ad Rubr. certi condictio.* Joan. Andr. *in addit. ad* Specul. *tit. de conſenſu.* §. *nunc videndum. verſ. quæ eſt ratio.* Paul. Caſtr. *in l. ſi divort. ff. de verbor. obligat.* Lud. Rom. *ad l. generaliter. ff. h. t.* Bart. *ad l. cum quis decedens.* §. *codicillis. verſ. ad quæſt. ff. de leg.* 2. Jaſon. *ad l. admonendi. ff. de jurejur. & ad l. cum te tranſegiſſe. ſupr. de tranſact.* Felin. *in c. cum cautio. de fid. inſtrum. & c. at ſi cleric.* 6. *col. extr. de judiciis.* Bald. *in l.* 3. *infr. de repud. hered.* Cyn. *l.* 1. *infr. de confeſſ.* Alex. *conſ.* 13. *vol.* 1. Socin. *conſ.* 178. & *conſ.* 228. Mod. 7 Falſitas inſtrumenti teſtibus poteſt argui. vid. *l.* 3. *in fin.* ☧. *ſi minor ſe major.* 8 Quibusdam caſibus hoc non eſt indignum. vid. Mynſing. 4. *obſ.* 51. 9 Id eſt, non aliis quam in mutuo. 10 Aliud hic jure civili, aliud jure canonico ſtatuitur: Jaſon. *ad l. qui pecuniam.* 30. *n.* 7. & 8. *ff. ſi cert. petat.* Hippol. *ſing.* 463. & *ſing.* 622. Felin. *ad c. ſi cautio. de fid. inſtr.* Diaz. *Reg.* 249. Duen. *reg.* 261. Mod. 11 Διαμαρτυρία τῆς ἀναργυρίας proteſtatio ſeu exceptio non numeratæ pecuniæ intra biennium continuum opponi debet: olim quinquennio, hodie biennio continuo extinguitur: exceptis iis quibus jure ſpeciali olim conceſſum erat, etiam poſt quinquennium eam exceptionem opponere, *ut hic. Synopſ. h. t. cap.* 72. 2. Harmen. 2. *c.* 8. 12 *Inſt. de literarum obligat.* §. 2. *Inſt. de except.* Hodie ſemper in Gallia auditur excipiens non numeratam pecuniam, ſed ei incumbit onus probandi. Rebuff. *tom.* 1. *conſtit. in proœm. n.* 59. Goth. Quod cum Jure Canonico convenit, quo non numeratæ pecuniæ exceptio etiam poſt biennium opponi poteſt in vim exceptionis doli mali. vid. Dyn. *ad cap. locupletari, de reg. jur. in* 6. Panorm. *cap. ult. extr. de ſolut.* Felin. *cap. ſi cautio. n.* 60. *de fide inſtrum.* Anſ. 13 Non numeratæ pecuniæ exceptionem nemo opponit adverſus apocham ſeu inſtrumentum, quo confeſſus eſt ſe depoſitum accepiſſe: ſed nec adverſus ſecuritatem (ἀπόδειξιν Græci vocant) δημοσίων, id eſt, de rebus fiſci vel publicis functionibus & tributis, ἢ κατὰ ὁμολογίας ἀποληπτικῆς ἐπὶ προικί: hoc eſt, adverſus cautionem ſcriptam receptoriam de dote ſeu dotis receptæ. *Synopſ. &* Harm. *d. loco.* 14 In depoſito confeſſo vel (ut loquuntur interpretes) confeſſionato, non admittitur exceptio non depoſitæ pecuniæ. vid. Roland. a Valle 1. *conſ.* 17. *n.* 7. 15 Vid. *l. ult.* ☧. *de apoch. publ.* adde *l.* 2. *in fin. infr. de quadrienn. præſcript.* 16 Exceptioni non numeratæ dotis locus non eſt, ſi præter inſtrumentum dotis etiam apocha caverit maritus ſe dotem accepiſſe. vid. Cujac. *ad Nov.* 102. *in fin.* 17 Exceptionem non numeratæ pecuniæ intra dies triginta poteſt opponere creditor adverſus ἀπόδειξιν ſeu apocham ſolutæ ſibi pecuniæ a ſe debitori factam, alio nomine, quam depoſiti tributorum, & dotis: atque ita differt ſpatium triginta dierum a biennio, de quo ſupra, quod datur, quum quis habet chirographum tanquam crediturus, & alter poſtea dicit ſe nihil accepiſſe. Triginta vero dierum, cum creditor ſecuritatem fecerit, veluti qui ſolidum vel partem acceperit. *Synopſ. & Scholiaſtes ibid.* Dic apertius, biennii exceptio competit reo ſeu debitori; triginta dierum creditori. 18 In quibus non agitur de depoſito, de tributis, de dote, *ut* ☧. §. 1. 19 Spe futuræ ſolutionis, ſi creditor apocham debitori tradidit, dabitur etiam ei exceptio non numeratæ. 20 Vide quæ notavi ad *l.* 7. *in fin. ff. de public. & vectig.* 21 In quibus cauſis pecuniæ non numeratæ exceptio opponi non poteſt, aut intra triginta dies duntaxat poteſt, nec jusjurandum defertur. 2. Harm. 2. §. 9. *Synopſ. dict. loc.* 22 Vide Jaſonem *ad l. manifeſtæ* 38. *ff. de jurejur.* Mod. 23 Excipere cui non licet, jusjurandum deferre non poteſt: vide *l.* 35. *in fin. ff. de jurejur.* 24 Vid. tamen *Novell.* 136. *cap.* 6. 25 Exceptionem pecuniæ non numeratæ qui habet, nec eam opponere propter metum adverſarii ſui poteſt, proteſtatione (Græcis διαμαρτυρία) apud præſidem vel apud Epiſcopum interpoſita tempus interrumpit. *Scholiaſt. Synopſ. dict. loc.* 26 *l.* 14. ☧. *de contr. ſtipulat.* 27 *l.* 21. ☧. *de Epiſcop. aud.* 28 Vid. ☧. *de dote caut. non numer.* 29 Adde *l.* 15. *ff. de fidejuſſ.* 30 An contra inſtrumentum guarentigiatum, aut confeſſatum non numeratæ pecuniæ exceptio opponi poſſit, vid. Groeneweg. *hic*: & Cenſur. Forenſ. noſtram *lib.* 4. *cap.* 18. S. L. 31 Vid. *l. ult. ff. ad municip.* adde ſpeciem *l. penult.* ☧. *de tranſact.* & ita, non obſtante juramento poteſt excipi de non numerata pecunia, h. e. exceptio non numeratæ pecuniæ locum habet etiam in jurata cautione. *Syn. Baſil. d. l. c.* 76. jurata porro cautio Græcis ἐνώμοτος ὁμολογία. De gratia jurisjurandi dixi ad *d. l. ult.* a quo ſit petenda. v. Roland. a Valle 1. *conſil.* 6. 32 Exceptio non numeratæ pecuniæ competit etiam appoſito juramento, & juramentum intelligitur ſecundum naturam actus, ſuper quo interponitur. Tiraquell. *de conſtit.* 3. *part.* 7. *lim. n.* 34. Jacob. de Nig. *ad rub. ff. de verbor. oblig. n.* 182. Fortun. Garzia. *ad l. ſi unus.* §. *pactus ne peteret. num.* 68. *ff. de pact.* Decius *conſil.* 240. & 351. *num.* 8. Didacus Covarruvias *ad rubr. extr. de teſtibus* 2. *part. n.* 12. Guterius *part.* 1. *reſolut. c.* 37. Mod.

33 §. 39. *Inſt. de actionibus,* & 16. *D.* 2. adde Paul. 2. *ſentent.* 5. §. 3. Oldendorp. *de except. compenſat. cap.* 47. *de except.* In Gallia conſuetudinaria compenſatio apud judicem ſine literis regiis non admittitur: quod ad compendium ſigilli Regis excogitatum refert Rebuffus *tom.* 1. *in proœm. conſtit. gl.* 5. *num.* 57. Goth. Ad hunc tit. vid. Cujac. *lib.* 6. *obſervat. cap.* 16. & *lib.* 15. *cap.* 12. & *tom.* 3. *comment. ad jus civil.* S. L. 34 Si unus fiſci ſtationarius mihi debet, alii ſum debitor, petere non poſſum compenſationem. adde *l.* 12. *ff. h. t.* 35 Στατίων. Fiſcus in diverſis provinciis quosdam habuit, qui res ipſius curarent. Curatio quælibet appellatur ſtatio. 7. *Synopſ.* 6. *ex lib.* 24. *tit.* 10. *cap.* 25. & *ibid. Scholiaſtes.* ſtationis fiſcalis ſit alibi mentio in *l.* 1. ☧. *ne fiſcus rem quam vendid. lib.* 10. *tit.* 5. *l.* 9. *infr. de ſuſceptorib. lib.* 10. *tit.* 70. *l.* 2. ☧. *de ſolut. & liberationibus.* Curationem hic voco, non locum ſtationis. vid. Cujac. 24. *obſerv.* 37. non ipſas manſiones, in quibus officia fiſcalia conſiſtunt. vide Cujac. *ad l.* 1. ☧. *ne fiſcus rem.* non officium ſtationarii, ſed ipſum ſtationarium & curatorem fiſcalem. His ita cognitis dicamus, fiſco agenti compenſationem objici poſſe: ſed tunc tantum, cum eadem ex ſtatione debet non alia. Nam cujusque ſtationis ratio ſeparata eſt, verbi gratia καθολικὸς ſeu generalis Alexandriæ debitum fiſcale petit: Reus ſeu debitor contra, ſibi tantumdem a fiſco Antiochiæ deberi ait? quum alia ſtatio ſit, exceptionem non habebit: ſi aliter compenſationes petuntur, συγχέονται αἱ φροντίδες καὶ οἱ λόγοι τῶν καθολικῶν, cautiones ipſæ & rationes generalium confunduntur. *Synopſis Baſilic. & ibid. Scholiaſtes* 7. *tit.* 6. *extr.* 10. *c.* 125.

Judicatæ rei ſolvendæ non ſolutæ compenſatio recte petitur.

2. Idem A. Aſclepiadæ.

EX [1] cauſa quidem judicati [ſi debitum] ſolutum repeti [2] non poteſt, ea [3] propter nec compenſatio [4] ejus admitti poteſt. † Eum vero, qui judicati convenitur [5], compenſationem pecuniæ ſibi debitæ implorare poſſe nemini dubium eſt.

Reipublicæ debitor certis caſibus compenſationem non objicit.

3. Imp. ALEXAND. A. Capitoni.

IN ea, quæ Reipublicæ te debere fateris, compenſari ea quæ [invicem] ab [6] eadem tibi debentur, is cujus de ea re notio eſt, jubebit: ſi [7] neque ex Kalendario, neque ex vectigalibus [8], neque ex frumenti, vel olei publici pecunia, neque tributorum, neque alimentorum, neque ejus qui ſtatutis ſumptibus ſervit, neque fideicommiſſi civitatis debitor ſis.

Quantitatis & pecuniæ compenſatio ipſo jure fit, & ad concurrentem quantitatem uſuræ ſiſtuntur.

4. Idem A. Luciano.

SI conſtat pecuniam invicem [9] deberi [10]: ipſo [11] jure pro ſoluto [12] compenſationem haberi oportet ex eo tempore, ex quo ab utraque parte debetur, utique quoad concurrentes quantitates, ejusque ſolius quod amplius apud alterum eſt, uſuræ debentur, ſi modo petitio earum ſubſiſtit [13].

Ex teſtamento debitum ita compenſari poteſt, ut ejus uſuræ non debeantur, quod compenſari poteſt.

5. Idem A. Honoratæ.

ETiamſi fideicommiſſum [14] tibi ex ejus bonis deberi conſtat, cui debuiſſe te minorem quantitatem dicis, æquitas [15] compenſationis uſurarum excludit computationem: petitio autem ejus quod amplius [16] tibi deberi probaveris, ſola relinquitur.

Ut pecuniæ cautæ non numeratæ, non eſt neceſſe compenſationem opponi, ita rerum amotarum nomine recte petitur compenſatio.

6. Idem A. Pollidenti.

NEque ſcriptura [17], qua cautum eſt accepta, quæ [18] negas tradita, obligare te contra fidem veritatis potuit: & compenſationis æquitatem jure poſtulas. Non enim prius exolvi, quod debere te conſtiterit, æquum eſt, quam petitioni mutuæ [19] reſponſum fuerit: eo magis, quod ea te perſequi dicis, quæ a muliere divortii cauſa amota quereris. PP. Dat. Kal. Decemb. ALEX. A. III. & DIONE CONSS. 230.

Venditor privatus pretium petens compenſationem patitur, non fiſcus.

7. Idem A. Euzoſio.

SI ex venditione pretium venditori debetur: compenſationis ratio opponitur. Adverſus fiſcum [20] enim ſolummodo emptores petitioni pretii compenſationem objicere prohibentur.

De fructibus perceptis, & de legato.

8. Imp. GORDIANUS A. Emerito.

SI propter fructus [21] ex poſſeſſione tua perceptos vitricus tuus debitor tibi conſtitutus eſt: cum id quod a matre tua ei legatum eſt, a te petere cœperit, mutuo [22] debitæ quantitatis apud eum, qui ſuper ea re judicaturus eſt, compenſationem non immerito objicies.

Alteri quod debes non mihi, compenſare mihi non cogeris.

9. Idem A. Eumenidi.

EJus, quod non ei [23] debetur, qui convenitur, ſed alii, compenſatio fieri non poteſt.

De indebito ſoluto.

10. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Nicandro.

QUoniam liberum [24] fundum diſtractum tibi proponis: poſt vero, veluti præcedente emptionem obligatione certum quid ſolviſſe [25]: ſi debitum a te apud Præſidem provinciæ petatur: compenſationem ejus quod indebite [26] ſolviſti potes opponere.

De nominatoribus tutorum.

11. Iidem AA. Juliano & Paulo.

SI tutores [27] pupillis officio magiſtratus urgente nominaſtis [28], ac pro his [29] propter onus primipili [30] pecuniam ſolviſtis, ſuperſtitioſam geritis ſolicitudinem, ne ab ipſis conventi [31] hanc ei imputare [32] minime poſſitis, vel a vobis quicquam amplius exigatur, ſi tantum [33] quantum eis tutores debuerunt, vel vos nomine ipſorum majorem [34] quantitatem dediſſe probetur.

De parte compenſata, & de pignoribus.

12. Iidem AA. & CC. Corneliano.

INvicem [35] debiti compenſatione habita, ſi quid amplius [36] debeas, ſolvens, vel accipere creditore nolente offerens [37], & conſignatum deponens, de pignoribus agere potes.

De publicis penſitationibus.

13. Iidem AA. & CC. Baſſo.

SI velut in id debitum, quod ſolennium [38] publicarum penſitationum nomine [debueras] compenſaturo tibi, nihil te petiturum poſtea Mutiano [39] ſcripſiſti: redditis [40] his quæ venerant in compenſationem, non indebiti ſoluti repetitio, ſed ante debiti competit exactio.

De actionibus in rem, vel in perſonam. De debito liquido vel non liquido. De depoſito. De poſſeſſione occupata.

14. Imp. JUSTINIAN. A. Joanni P. P.

COmpenſationes [41] ex omnibus [42] actionibus ipſo [43] jure fieri ſancimus, nulla differentia in rem [44], vel perſonalibus actionibus inter ſe obſervanda. § 1. Ita tamen compenſationes objici jubemus, ſi cauſa, ex qua compenſatur, liquida ſit [45], & non multis ambagibus innodata, ſed poſſit judici facilem exitum ſui præſtare: ſatis enim miſerabile eſt poſt multa forte variaque certamina, cum res jam fuerit approbata, tunc ex altera parte, quæ jam pene convicta eſt, opponi compenſationem jam certo & indubitato debito, & moratoriis ambagibus ſpem condemnationis excludi. Hoc itaque judices obſervent, & non procliviores ad admittendas compenſationes exiſtant, nec molli animo eas ſuſcipiant: ſed [46] jure ſtricto utentes, ſi invenerint eas majorem & ampliorem expoſcere indaginem, eas quidem alii judicio reſervent; litem autem priſtinam jam pene expeditam, ſententia terminali [47] componant: excepta actione depoſiti [48] ſecundum noſtram ſanctionem, in qua nec compenſationi locum eſſe diſpoſuimus. § 2. Poſſeſſionem autem alienam [49] perperam occupantibus compenſatio non datur.

TIT. XXXII. DE USURIS [50].

Stipulatio parit uſuras, non ſcripturam exigit.

1. Imp. ANTON. PIUS A. Evocato.

SI [51] interrogatione præcedente promiſſio uſurarum recte facta probetur: licet inſtrumento conſcripta [52] non ſit, tamen optimo jure debentur.

Mora emptoris parit uſuras venditori.

2. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Lucio.

USuras emptor, cui poſſeſſio rei tradita [53] eſt, ſi pretium venditori non obtulerit [54]: quamvis pecuniam obſignatam in [55] depoſiti cauſam habuerit, æquitatis ratione præſtare cogitur.

1 Judicati ex cauſa qui convenitur, compenſare poteſt: qui tamen ſi ex eadem cauſa jam ſolvit, quamvis iniqua ſententia ſit, neque ſolutum repetit, neque in compenſationem alterius debiti: ejus nomine conventus, opponit ſe indebitum aliquod ante ſolviſſe, ut hic, εἰ μὴ προσελεύσει χρήσεως ἄνωθεν τὰ τῆς δίκης γυμνασθῇ, id eſt, niſi uſus acceſſione, lis jam antea quoque fuerit exercita. Synopſis, & ibid. *Scholiaſtes cap.* 26. 2 Solutum judicati cauſa non repetitur, nec compenſatur, licet judicatum iniquum fuerit. 3 Compenſari non poteſt, quod ſolutum repeti non poteſt. 4 Compenſationis exceptio poteſt in executione ſententiæ opponi. 5 Id eſt, ſententia mandatur executioni. 6 *l. ult. ff. h. t. l.* 46. §. 5. *ff. de jure fiſci.* 7 Reipubl. poteſt objici compenſatio. *Goth.* Vide Zanger. *de Except. part.* 3. *cap.* 8. *num.* 19. Anſ. 8 Compenſatio fiſco objici non poteſt petenti tributa, *ut hic.* adde *l. aufertur.* 46. §. *ut debitorib.* 5. *ff. de jure fiſci.* Quid? decimas petentibus compenſatio num recte poteſt objici? negat objici poſſe Roman. *ſing.* 547. *argum. hujus legis.* eo magis quod decimæ Deo debeantur, *cap. tua nobis* 26. *de decimis.* Idem notat *gloſſ.* 16. *quæſt.* 1. *cap. decimæ* 66. 9 *l.* 10. §. 2. *ff. h. t.* 10 Vide de compenſatione Socinum *reg.* 61. Roman. *conſ.* 204. *col.* 2. *n.* 9. Angel. *conſ.* 132. Afflictum *deciſ.* 163. Vivi. *lib.* 1. *commun. opin. in verſ. compenſatio.* 43. *opin.* Mod. 11 *l.* 5. *infr. h. t. l.* 4. *ff. h. t. l.* 7. *J. de ſolut.* Goth. Vid. Zanger. *de Except. part.* 3. *cap.* 8. *num.* 121. 131. Anſ. 12 Compenſationis vis hæc eſt, ut ſolutionis ſimilitudinem habeat: id eſt, ut qui compenſare poſſit, ſolviſſe videatur. Proinde qui totius debiti compenſationem habet, integrum debitum: qui partis, eam partem ſolviſſe, & ejusdem partis uſuras legitime debitas ſuſtuliſſe intelligitur. *Synopſis Baſil. & ibi Scholiaſtes* 7. *titul.* 6. *ex tit.* 10. *cap.* 27. Solvit qui compenſat. vide *l. ſi debitor.* 4. *in fin. ff. qui potiores.* 13 Quando ſubſiſtat, vide *l.* 88. *ff. de reg. jur. & ibi* Decium. 14 Debitum ex teſtamento poteſt compenſari. 15 §. 39. *Inſt. de act.* Hoc quid eſt? ipſo jure fit compenſatio. *l.* 4. *ſupr. h. t.* 16 Partis admittitur compenſatio, at non ſolutio. *l.* 12. *infr. h. t.* vid. Neguſantium *tract. de pignor. memb.* 5. *part.* 3. *num.* 24. 17 *l.* 13. *J. de ſol.* 18 Nuda mutui cautio deſtituta numeratione non obligat. 19 *l.* 8. *J. h. t.* 20 Venditor niſi ſit fiſcus, petens pretium patitur compenſationem. *l.* 46. §. 5. *ff. de jure fiſci. Synopſ. Baſil. h. t. cap.* 31. 21 Fructuum conſumptorum debitor compenſationem patitur. 22 *l.* 6. *ſupr. h. t.* 23 Creditor compenſare non cogitur, quod alii, quam debitori ſuo debet. *l.* 16. *ibi, ab alio. l.* 18. *ff. h. t.* vide tamen *l.* 5. *ff. h. t.* An procurator in rem ſuam compenſare poſſit, quod actor domino debet, vid. apud Cujac. 24. *obſerv.* 37. 24 Venditor tenetur fundum luere & tradere liberum, non ſolum a ſervitutibus, ſed etiam a creditoribus. 25 Emptor quod ſolvit, empti fundi liberandi cauſa, imputare poteſt in id pretium quod debet venditori. 26 Quantum ad te: debite, quantum ad venditorem attinet. 27 Vid. in hanc legem Zanger. *de except. part.* 3. *c.* 8. *n.* 66. Anſ. 28 Magiſtratus poteſt onus nominandi tutoris alicui mandare. 29 Pupilli ſcilicet abſentibus tutoribus, quos nominaſtis. 30 Vide *l.* 4. *J. de primipilo. lib.* 12. *tit.* 63. 31 Qui tutorem nominavit, a pupillo poteſt conveniri. 32 Principalis quod imputare potuit, id ejus ſucceſſor ac ſubſidiarius imputat. 33 Qui tutorem nominavit ejus in ſubſidium in eam quantitatem quam is debuit, tenetur. 34 Si tutor plus impendit, quam accepit, pupillo imputat, ergo & is, qui tutoris loco quid impendit, id imputabit.

35 *l.* 2. *ſupr. h. t.* 36 *l.* 5. *ſupr. h. t.* 37 Partis qui compenſationem petit, reſiduum offerre, conſignare & deponere tenetur. *l.* 10. *in fin. l.* 12. *ſupr. de pignor. action. l.* 3. *J. de luitione pignor.* 38 Quod ſolennium ac publicarum penſitationum nomine debeo, compenſare non poſſum cum eo, quod mihi a curatore Reipub. privatim debetur. 39 Curatori Reipublicæ. 40 Id eſt, ſolutis: ut ſit ſenſus, dicis te debitorem publicarum functionum coactum fuiſſe a novo Reipublicæ curatore ſolvere, quod antea cum Mutiano ejus deceſſore, (privati ejus, non fiſcalis debiti cauſa) compenſaveras: & quæris, num a novo illo curatore ſolutum poſſis repetere? non potes. potes tamen a Mutiani herede id, quod tibi debitum eſt, exigere. 41 Nihil novum induci hac conſtitutione notat Cujacius 8. *obſerv.* 16. 42 Compenſationes ex omnibus actionibus ipſo jure fiunt, ut hic, ex omni contractu naturali vel civili. *l.* 4. *ff. h. t.* naturali tantum. *l.* 6. *ff. h. t.* teſtamento. *l.* 5. *S. h. t.* conteſtatione judiciali. *l.* 8. *S. h. t.* actionibus in rem & in perſonam. *J. h. t.* at non in facti obligationibus: eſt enim inter artifices longa differentia. *l.* 31. *ff. de ſolutionib.* nec facta functionem ſolutionis recipiunt. *l.* 2. §. 7. *ff. de eo quod certo.* De aliis exceptionibus dicetur alibi. His interim adde quæ ſcripſi ad *l.* 36. *ff. de adminiſt. & peric. tut.* nempe compenſationem, quæ fit ipſo jure, ſolas ad uſuras uſurarum odio reſtringi. Accurſ. *in l.* 10. *ff. h. t.* 43 §. 30. *Inſtit. de actionib. l.* 4. *ſupr. & l.* 4. *l.* 10. *ff. h. t.* 44 *dict.* §. 30. vid. Cujac. 15. *obſerv.* 12. 45 Non liquidi ad liquidum non fit compenſatio. Compenſatio denique non fit niſi debiti liquidi, confeſſi, præſentis, non controverſi, non incerti, quod & ante Juſtinianum fuit, *l.* 22. *ff. h. t. l.* 3. *ff. de tut. & rat. diſtrah.* Adde huic loco Socin. *reg.* 61. 46 Non hoc dicit, compenſationes jure ſtricto niti: ſed hoc potius, judicum in compenſationibus admittendis vel non admittendis magnam poteſtatem eſſe. 47 Terminalis ſententia eſt, quæ cauſæ terminum adfert. ſic terminalis lapis, qui agrum finit. Ammianus Marcellin. 38. *qui & finalis apud autores de limitibus agrorum.* 48 Res depoſita non poteſt prætextu compenſationis retineri: id eſt, ubi depoſitum repetitur, non admittitur petitio compenſationis. *l.* 11. *ff. depoſiti.* hoc etiam ante Juſtinianum fuit. Paul. 2. *ſent. tit. de depoſito* 12. §. 3. 49 Spoliato non objicitur compenſatio. Spoliatus ante omnia reſtituendus eſt, non obſtante compenſationis exceptione. vide Forrer. 2. *ſelect.* 14. vel ita, in actione momenti compenſationi locus non eſt: quod olim quoque obtinuit. Nam momentanea impediri poſſunt.

50 *L.* 22. *D.* 1. *&* 2. *C. Theod.* 33. *&* 2. Paul. *ſent.* 14. *&* 23. *Eclog.* 3. *&* 3. Harmen. 7. *&* 5. *extr.* 39. vid. Papon. 12. *Arreſt.* 7. *des contraits uſuraires &c.* adde *de uſuris rei judicatæ lib.* 7. *tit.* 54. *infr. de naut. fœn.* 22. *ff.* 2. *Novell.* 121. Molin. *in tract. de uſur. De uſur. pupill.* vid. *l.* 5. *tit.* 56. An licitum ſit aliquid extra ſortem accipere, dixi ad *l.* 2. *S. de pign. act.* & omnium maxime ad *l. placuit.* 29. *ff. de uſur.* 51 Uſuræ ex promiſſione non debentur, niſi ſtipulanti ſint promiſſæ. 52 Uſurarum ſtipulatio ſcripturam non requirit. Stipulatio ἄγραφος, id eſt, non ſcripta uſurarum valet. 3. Harmen. 7. §. 2. dixi ad *l.* 17. *ſupr. de pact.* 53 Emptor uſuras debet pretii a die traditionis rei factæ. *l.* 5. *infr. & l.* 13. §. 20. *ff. de act. empt.* 54 Et eatenus fuerit in mora. Mora emptoris in pretio ſolvendo parit uſuras, id eſt, uſuris eum ſubjicit. 55 Sola deſtinatio & voluntas deponendi emptorem, cui res jam tradita eſt, non excuſat ab uſuris. Differunt hæc depoſuiſſe & deponere voluiſſe.

Nuda conventio parit interdum uſuras, ſi vel ſolutæ ſint, vel pignus in eas datum.

3. Iidem AA. Juliano.

QUamvis uſuræ fœnebris pecuniæ citra [1] vinculum ſtipulationis peti non poſſint: tamen ex pacti conventione ſolutæ, neque ut indebitæ repetuntur [2], neque in ſortem accepto ferendæ ſunt.

Pignus obligatum pro minoribus uſuris, non poteſt retineri pro majoribus ex poſteriori contractu naſcentibus. Bald.

4. Iidem AA. Honorio.

PEr retentionem [3] pignoris uſuras ſervari poſſe, de quibus præſtandis convenit, licet [4] ſtipulatio interpoſita non ſit, merito conſtitutum eſt, & rationem habet: cum [5] pignora conventione [6] pacti etiam uſuris obſtricta ſint. † Sed [7] enim in cauſa de qua agis, hæc ratio ceſſat, ſiquidem tempore contractus de minoribus uſuris petendis convenit, poſtea [8] autem cum ſe debitor præſtaturum majores repromiſit, non poteſt videri rata pignoris retentio: quando eo tempore, quo inſtrumenta [9] emittebantur, non convenit, ut pignus etiam ad hanc adjectionem [10] teneatur.

Remittit majores uſuras, qui minores certis annis exegit.

5. Iidem AA. & CC. Sabino & aliis.

ADverſus creditorem uſuras majores ex ſtipulatu petentem, ſi probetur per [11] certos annos minores [12] poſtea conſecutus, utilis eſt pacti exceptio: ſecundum quod tueri cauſam poteſtis etiam adverſus [13] defenſores civitatis majores petentes ex cautione, ſi probaveritis ſemper [14] quincunces [15] amitam pupillorum veſtrorum, quæ majores caverat, dependiſſe.

Oblatio, obſignatio, depoſitioque ſortis & uſurarum ut facienda ſit, & quam vim habeat.

6. Imp. ANTON. A. Antiæneo.

SI creditrici [16], quæ ex cauſa pignoris obligatam ſibi rem tenuit, pecuniam debitam cum uſuris teſtibus præſentibus [17] obtuliſti; eaque non accipiente obſignatam eam depoſuiſti [18], uſuras ex eo tempore, quo obtuliſti [19], præſtare non cogeris: abſente [20] vero creditrice, præſidem ſuper hoc interpellare debueras.

Præſtitæ aliquando uſuræ perpetuam obligationem uſurarum non pariunt.

7. Idem A. Ariſteo.

CReditor inſtrumentis ſuis probare debet, quæ intendit [21], & uſuras ſe ſtipulatum, ſi poteſt. Nec enim ſi aliquando [22] ex conſenſu præſtitæ ſunt, obligationem [23] conſtituunt.

Remittit majores uſuras, qui minores ſciens poſtea exegit.

8. Idem A. Theophoro.

QUamvis Baſſa, cum pecuniam mutuam acciperet, minores uſuras Menophani [24] ſpopondit; & *niſi intra certum tempus eas ſolviſſet, ampliores* [25] (licitas [26] tamen) promiſit [tamen,] ſi poſt tempus cautioni præfinitum creditor eaſdem [27] accepit, nec majores ſibi dari poſtulavit, ac per [28] hoc non receſſiſſe eum a minorum præſtatione probari poteſt: eas uſuras computari oportet, quarum in exactione creditor perſeveravit.

Oblatio debiti facta tutori creditoris liberat a majoribus uſuris: depoſitio vero ab omnibus.

9. Idem A. Probo.

SI per te non ſtat, quominus intra tempora præfinita pecuniam minorem ſolveres [uſurarum [29],] ſed per [30] tutores filiorum creditoris, qui eam accipere noluerunt, idque apud judicem datum probaveris, ejus temporis, quo per te non ſtetiſſe apparuerit, uſuræ majores non exigentur. † Quod ſi etiam ſortem depoſuiſti, exinde ex quo id factum apparuerit in uſuras [31] non convenieris.

De dupli computatione.

10. Idem A. Donato.

USuræ per [32] tempora ſolutæ [33] non proficiunt reo ad dupli [34] computationem. Tunc enim, ultra ſortis ſummam uſuræ [35] non exiguntur, quoties tempore ſolutionis ſumma uſurarum excedit eam computationem.

Poſt oblatum ſibi debitum fructus pignoris percipiens creditor eos in ſortem imputare cogitur.

11. Idem A. Popilio.

EX prædiis pignori obligatis creditor poſt oblatam [36] ſibi [37] jure pecuniam quam non ſuſcepit, ſi fructus [38] accepit, exonerari [39] ſortis debitum certum eſt [40].

De nudo pacto.

12. Imp. ALEXAND. A. Tyranno.

FRumenti [41], vel hordei mutuo dati acceſſio, etiam ex nudo [42] pacto præſtanda eſt.

De judiciis bonæ fidei. De re judicata.

13. Idem A. Euſtachiæ.

IN bonæ fidei judiciis [43] (quale eſt negotiorum [44] [etiam] geſtorum) uſurarum rationem haberi certum eſt. † Sed ſi finitum eſt judicium ſententia, quamvis minoris condemnatio facta eſt, non [45] adjectis uſuris, nec provocatio ſecuta eſt, finita retractanda non ſunt: nec [46] ejus temporis, quod poſt rem judicatam fluxerit, uſuræ ullo jure poſtulantur, niſi ex cauſis judicati.

De antichreſi.

14. Idem A. Aurelio.

SI ex pactione uxor tua mutuam pecuniam dedit, *Ut* [47] *vice* [48] *uſurarum [domum] inhabitaret*, pactoque ita, ut convenit, uſa eſt, non etiam locando domum penſionem redegit: referri quæſtionem, quaſi plus domus redigeret, ſi locaretur, quam uſurarum legitimarum ratio colligit, minime oportet. † Licet enim uberiore ſorte potuerit contrahi locatio: non ideo tamen illicitum fœnus eſſe contractum, ſed vilius [49] conducta habitatio videtur.

De pœna inſerta in contractu mutui.

15. Imp. GORD. A. Claudio.

CUm allegas uxorem tuam ea conditione mille aureorum [numero] quantitatem ſumpſiſſe, *Ut ſi intra diem certum debito ſatis non feciſſet, cum* [50] *pœna quadrupli redderet, quod accepit:* juris forma

1 Paul. 2. *ſent.* 14. §. 1. excipe *l.* 4. *J. h. t.* uſuræ ex pacto (hoc eſt, ſine ſtipulatione promiſſæ) ſolutæ repeti non poſſunt: nec in ſortem a creditore computentur. *Synopſ. Baſil. c.* 47. 3. Harm. 7. §. 14. Quæ verba intelligenda ſunt de legitimis uſuris: nam illicitæ uſuræ in ſortem computantur. *Scholiaſtes Syn. d. c.* 47. *l.* 26. §. 1. *in fin. J. h. t.* 2 Nuda conventio parit uſurarum ſolutarum retentionem, & ad uſuras ſolutas retinendas ſufficit. *l.* 26. *ff. de cond. indeb.* 3 Non modo ſortis, ſed uſurarum cauſa pignus poteſt retineri. Retinere pignus poſſum mihi traditum in uſuras nudo pacto mihi promiſſas. 4 Ratio dubitandi ſumpta ex *l.* 1. *l.* 3 *ſupr. h. t.* 5 Ratio decidendi. *l.* 22. *J. h. t.* 6 Pactum de uſuris traditioni pignoris adjunctum, ad uſuras petendas valet. *l.* 48. *ff. de pactis.* Conventione nuda promiſſæ uſuræ non exiguntur. *l.* 3. *S. h. t.* promiſſis nudo pacto, & eo nomine pignore dato ſeu obligato, pignus uſurarum ita promiſſarum nomine retineri poteſt, etiam ſi pignus debito vilius ſit. *Synopſ. h. t. c.* 47. *& ibi* Anatolius *Scholiaſtes. l.* 11. §. 3. *ff. de pign. act.* adde *l. ult. infr. debitorem venditionem pignoris.* atque ita multa poſſunt per retentionem ſervari, quæ peti non poſſunt. Alex. *ad l. non ſolum.* 8. §. *morte.* 6. *ff. de novi operis nunciat.* Garzias *ad l. idem.* 25. §. 2. *ff. de pact.* 7 Caſus diverſus a ſuperiore. 8 Id eſt, poſt tempus contractus. 9 Id eſt, cum pignus contraheretur in ſortem duntaxat. Agitur enim hic de chirographariis uſuris. Uſuræ chirographariæ ſunt, cum pignus contractum eſt in ſortem duntaxat. Hæc taxatio ſi defuerit, pignus datum ὑπὸ κεφάλαιον ſortis ratione (capitale Itali vocant, quod Galli *le ſort principal*) tacite quoque uſuris ſubjicitur. Harmenopul. *apud* Cujacium 5. *obſervat.* 28. 10 Uſura, ſortis adjectio, ut hic, incrementum. *l.* 28. *in fin. J. h. t.* Hujusmodi augmentum non ex ipſa pecuniæ ſubſtantia (ſicut fœtus ovium, aut partus ancillæ) ſed ex uſu rei oritur. vid. *l.* 34. *ff. h. t.* Ædificii urbani, & mobilium rerum merces uſura dici poteſt, ſed hujusmodi tamen ut ſorti rei locatæ ſemper aliquid depereat: in mutuo vero non idem. 11 Minimas uſuras qui per certos annos ſciens accepit, tacite fatetur majores ſibi non deberi. Imo non fatetur. *l.* 16. *ff. de in rem verſo.* 12 Vide *l.* 8. *J. h. t. l.* 13. *ff. h. t.* 13 Et ita remiſſio tacita aliquando valet, ut hic: quæ alias tacita non valeret: *ut l.* 37. *ff. de pact.* nec ad præſtandas majores obligatur. *l.* 102. *in fin. ff. de ſolut. & liberat.* 14 Id eſt, ſpatio triennii. *argum. l.* 1. *J. de fideicommiſſ.* vult enim Bald. hanc particulam veram eſſe in triennio, vel ſaltem in decennio vel vicennio. Harm. ita hanc legem exponit 3. *tit.* 7. §. 9. Qui ex liberalitate longo tempore (ἐπὶ πολὺν χρόνον) uſuras non petiit, non recte ſuperioris temporis uſuras exigit: adde 2. *Feud.* 2. §. 1. *l.* 1. *J. de fideicommiſſ.* 15 Quincunx uſura. *l.* 17. *ff. h. t. Cinq pour cent.* eſtque ducenteſima quadrageſima pars ſortis: unde ſorti exæquatur in 240. menſibus, ſive viginti annis. vid. Molin. *in tract. de uſur. n.* 53. 16 Vide Zanger. *de except. part.* 3. *cap.* 2. *n.* 105. Anſ. 17 Alias nudum propoſitum offerendi non excuſat. *l.* 2. *S. h. t.* 18 In publico, vel æde ſacra. *l.* 19. *J. h. t.* plus eſt deponere quam offerre. Eſt enim ordine hoc prius tempore: illud poſterius. Porro non hic agitur de oblatione verbali, quæ non eſt ad petendas uſuras efficax: nec de reali, nuda tamen, ſed de ea quæ duo habet adjuncta: puta quæ facta fuit coram teſtibus & re ipſa, & quam ſecuta ſit in publicum vel ædem ſacram depoſitio. Aliter Molin. hæc explicat *quæſt.* 39. *de uſur. num.* 297. 19 Hoc ſcil. modo, de quo hic agitur, quemque ſuperius explicavi. 20 Nota cautionem debitori utilem ad evitandas uſuras. 21 Hoc eſt, καὶ τὸ χρέος, καὶ τὴν τόκων ἐπερώτησιν, & ſortem & uſurarum ſtipulationem. *Synopſ. h. t. c.* 51. 3. Harm. 7. §. 15. 22 Ἐπὶ τίνα χρόνον, per aliquod tempus. Harmen. *ibid.* Quod aliquando factum eſt, in perpetuam non trahitur neceſſitatem, *l.* 28. *S. de pactis.* Quod longo tempore factum eſt. *l.* 6. *ff. h. t.* aut per multos annos. *l.* 13. *ff. h. t.* trahitur, & quidem adverſus fiſcum. *l.* 5. *S. h. t. ibi, ſecundum quod.* Et ita non continuo uſuras promiſiſſe intelligitur, qui eas aliquando ſolvit. Nec a ſolutione brevis temporis, ad perpetuam promiſſionem & obligationem infertur. Minimum tempus non eſt modus adquirendæ obligationis. *l.* 44. §. 1. *ff. de obl. & act.* 23 Οὐ ποιεῖ πρόκριμα τῷ χρεώστῃ, nullum faciunt debitori præjudicium. *Syn. &* Harm. *d. loco.* 24 Creditori. 25 *l.* 40. *ff. de rebus cred. Syn. d. c.* 47. 26 *l.* 1. §. 3. *ff. de pign. & hypoth. l.* 17. *ff. h. t.* 27 I. e. Minores. 28 Puto legendum *ac per hoc receſſiſſe eum a majorum præſtatione*, ut ſit ſenſus, cui ex eodem contractu minores vel majores uſuræ debentur, ſi minores eligit, majores tacite remiſiſſe intelligitur; ſi non ita legendum eſt, ſaltem legis ſententia huc refertur. 29 Hanc particulam legit Haloander: legerunt & veteres optimo ſenſu, ſi debitor minores uſuras tempore congruo obtulit, curſum majorum evitat. 30 Mora tutoris pupillo nocet. 31 Id eſt, in nullas uſuras, ſive minores dicas, ſive majores. *l.* 7. §. 2. *ff. de minorib.* 25. *ann.* Goth. Confer. *l.* 6. *& l.* 19. *hoc tit.* Zanger. *de exception. part.* 3. *cap.* 2. *n.* 154. Anſ. 32 Id eſt, per partes, diverſis temporibus, per intervalla temporum. *l.* 29. *l.* 30. *J. h. t.* 33 Id eſt, non concurrunt, nec in duplum computantur. Hodie imputantur. *Novell.* 121. *&* 138. Cætera ad hanc legem vid. apud Alciat. 1. *parerg.* 33. Molin. *n.* 46. 47. *de uſur.* Hot. 2. *de uſur.* 16. 34 Lex vetus fuit, etiam Ægyptiorum, *teſte Diodor.* 2. ne creditor κεφάλαιον, id eſt, caput aut ſortem, majorem faceret duplo. Idem Romani vetuerunt exigi uſuras ultra duplum, in quo (duplo ſcil.) ſimplum inerat, ita ut cum uſuræ ſemel ad quantitatem ſortis aſcendiſſent, non exigerentur. Hinc illud Harmen. 3. *tit.* 7. §. 6. τῶν τόκων τὸ κεφάλαιον διπλασιαζόντων ὁ τόκος παύεται. Uſurarum ſortem duplicantium uſura ceſſat. vid. Molin. *d. l. n.* 43. Et ita duplum illud eſt alterum tantum ſorte amplius. *l.* 26. §. 1. *ff. de cond. indeb. l.* 4. *in fin. ff. de naut. fœn. Edict.* 9. *l.* 27. *in fin. l. pen. l. ult. J. h. t. l. ult. J. de fidejuſſ. & mand.* idque licitum vocatur *in l.* 19. *infr. de mandat.* adde Cujac. *ad Novell.* 121. Eo pacto Romani moderati ſunt uſuras, nec permiſerunt paſſim centeſimas, indultis levioribus. vid. Molin. *ibid.* ita quoque iidem id quod intereſt moderati. *l. unic. infr. de ſententiis, quæ pro eo quod intereſt.* 35 *Uſuræ exiguntur*, in vulgatis ita legebatur. 36 A debitore ſcil. de oblatione vid. *l.* 9. *infr. de ſolut.* 37 *Sibi in jure*, quidam ita legunt. 38 Ἀντίχρησις ſolvitur oblatione debiti, hoc eſt, debitor ſortem & uſuras creditori offerendo efficit, ut creditor jus ſuum ἀντιχρήσεως amittat: hoc eſt, ut ne fructus pignoris ſuos faciat. Quid ſi eos percepit? exonerabitur ſortis debitum. de antichreſi adde *l.* 14. *l.* 17. *infr. h. t. l.* 11. §. 1. *ff. de pign. & hypoth. l.* 6. *ſupr. quod cum eo. l.* 33. *ff. de pign. act.* 39 Ἀντιχρήσει ſola oblatio ſolvit, ut hic: non uſuras. *l.* 6. *S. h. t.* vid. *l.* 2. *J. de pact. pign.* 40 Cur ita? quia poſt non acceptam debiti ſolutionem, bona fide prædii alieni fructus ſuos facere non poteſt. 41 Pro fructibus aridis uſuras paciſci licet, ſed & pro liquidis. *l.* 23. *infr. h. t.* quin & pro veſte. *l.* 25. *J. h. t.* Et breviter pro fructibus mutuo datis etiam uſura poteſt ex pacto peti. *Synopſ. h. t. c.* 54. Harm. *h. t. c.* 23. 42 Atqui pecuniæ uſuræ non debentur, niſi ex ſtipulatione. *l.* 3. *S. h. t.* ſuo jure id receptum? διὰ τὸ ἄδηλον τῶν καρπῶν. *Synopſ. Baſil. h. t. cap.* 66. 3. Harm. 7. §. 24. ob incertum & inconſtans frugum pretium. *l.* 17. *infr. h. t.* quod etiam efficit, ut majores ſtipulemur uſuras in frugibus, quam in pecunia. vid. *l.* 23. *J. h. t.* 43 *l.* 32. §. 2. *ff. de uſur.* veluti locati. *l.* 54. *ff. locati.* 44 Negotiorum geſtorum actio bonæ fidei eſt: ideoque in ea uſuræ exiguntur. *l.* 24. *J. h. t. l.* 19. §. 4. *l.* 31. §. 3. *l.* 37. §. 1. *ff. de negot.* 45 Vid. *l.* 3. *verſ. ſi enim novatur. J. de uſur. rei jud.* 46 *l.* 1. §. 2. *in fin. ff. h. t.* adde *l.* 1. *J. de ſent. quæ ſine certa quantitate.* 47 Eſt ea ἀντίχρησις, de qua vid. *l.* 17. *J. h. t. l.* 11. §. 1. *ff. de pign. & hypoth.* 3. Harm. 5. *c.* ἀντιχρήσεως. Antichreſis, eſtne idem quod emptio redituum: cujus fit mentio *in c.* 1. *&* 2. *ext. de empt.* Hot. 2. *obſ.* 1. negat. movetur, quod ibi creditor fundum pro domino poſſidet, ejusque periculo ſit, hic non ſit. 48 Vice uſurarum permiſſum eſt mihi abs te tuas ædes habitare. Sed ablocavi, & plus redegi ex mercede quam legitimus modus uſurarum ferret; quid juris? quod amplius erit, ſorti imputabo, ut hic. ſumpto argumento a contrario ſenſu. adde 3. Harm. 5. *c.* περὶ ἀντιχρήσεως. Quid ſi habitavi? ſervatur conventio, etiamſi pluris ea habitatio cenſeatur, quam modus legitimus uſurarum fuerit, & vilius mihi conducta domus potius, quam illicitum fœnus contractum videtur. *infr. h. t. ibi, licet enim.* adde Cujac. 8. *obſ.* 17. vid. tamen *l.* 11. §. 1. *ff. de pign. & hypoth.* 49 Quid ſi deceptio ſit ultra dimidium juſtæ mercedis? Accurſius putat debitori competere remedium legis 2. *J. de reſcind. vendit.* Idem ſentit Papon. 3. *Not.* 9. *c. de reſtit. contre louages & conductions.* adde *l.* 3. *S. comm. utriusque jud.* facit *l.* 16. *in fin. ff. de minor.* 25. *ann. l.* 2. *l.* 22. *in fin. ff. locati. d. c.* de quo tamen dubitari poteſt propter incertam ſpem mercedum, quæ ſolent decreſcere: moveor *l.* 17. *&* 23. *J. h. t.* adde gloſſam Accurſii, ubi ſcripſi in *l.* 14. *J. de locato.* 50 Vid. quæ notavi ad *l.* 98. §. 5. *ff. de ſolut. & liber.* adde *l.* 44. *ff. hoc tit. l.* 13. §. 26. *ff. de act. empt.*